

in his pulcherrimis, & perpetuis corporibus, cœlo & stellis quasi fixa, quas quoties adspiciunt homines docti, & benemorati, excitantur, primum ut celebrent Deum conditorem huius mirandi operis, deinde ut gratias agant, quod monstravit motus, postea etiam de beneficijs magnorum Principū, & scriptorum cogitant, quorū laboribus hæc sapientia conseruata & propagata est.

Cum igitur & tuarum uirtutum memoria, in hac cœlestium motuū doctrina posteris tradatur, spero tibi officium nostrū gratum fore. Artifices uero probaturos esse & uoluntatē meam, & laboris magnitudinem, & opus ipsum confido. Sciunt enim ueteres tabulas cum phænomenis non amplius congruere, ac emendationē necessariam esse. Laboris uero magnitudo inde iudicari potest, quod nemo tot seculis tabulas emendatiores edidit. Vir doctissimus quem uel Atlantem, uel Ptolemæū alterū nominare possumus, Copernicus, etsi constitutis obseruationibus demonstrationes et motuū causas eruditissime tradidit, tamen hunc laborē tabulas construendi adeo defugit, ut si quis computet ex ipsius canonib. ne quidē ad eas obseruationes computatio congruat, quibus fundamentū operis innititur. Itaq; collatis Copernici obseruationibus cum Ptolemæo & Hipparcho, alias tabulas institui, quarum usum mox ostendam. Et causas earum ac fontes in alio opere expono.

Vt autem apud Poetam de Aenea dicitur:

Nam te iam septima portat,

Omnibus errantem terris ac fluctibus æstas.

Ita ergo iam annos septem huic labori impendi, non ut ille procul terra & mari uagatus, sed tamen in his publicis miserijs, & hoc tristi patriæ bello aliquantisper exulans cum familia, & exercitatus morbis, luctu domestico, & rei familiaris detrimentis, quam augere potuissem, si quæstuosas operas, aut diuinationes huic utili & erudito labori præferre uoluisssem. Quanta enim commoditas est, quod retrò etiam ad mundi exordium computari motus cœlestes, ex his tabulis possunt